

Officia Propria
DIŒCESIS AUGUSTANÆ
Tomus Alter

Die 5 iunii
S. BONIFATII
Episcopi et Martyris
II classis

Omnia de Communi Martyrum tempore paschali, præter ea, quæ hic habentur propria.

In I Nocturno Lectiones A Miléto, de Communi unius Martyris i loco.

In II Nocturno

Absol. Ipsius.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Bonifatius, ántea Winfridus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte sæculo séptimo, et ab ipsa infântia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum ejus pater ánimum sæculi illécebris permutare frustra tentáset, monastérium ingréditur, et

sub beáti Wolphárdi disciplína ómnium virtútum, ac scientiarum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignítur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. Attamen regnum Christi adaugére désiderans, contínuo flebat ingéntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiæ ténebris immérsi dæmoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inextinguibili ardóre accrészceret, divíno númine per lácrimas et oratiónes exploráto, facultátem a monastérii præpósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. V. Descendítque cum illo in fóveam, et in

DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

vínculis non derelíquit eum.
Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Ex Anglia duóbus cum sóciis navem solvens, Dorestádium in Frisiæ óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frísonum regem Radbódum, et Cárolum Martéllum exarsísset, sine fructu Evangélium prædicávit: Quapropter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præficitur. Post elápsum biénnum ex consénsu epíscopi Vintonién sis munus abdicávit, et Romam proféctus est, ut apostólica auctoritaté ad gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervenísset, a Gregorio secúndo benígne excípitur, pro Winfrído Bonifátius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuringiæ Saxoniæque pópolis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus Frisiæ rex ac infestíssimus christiáni nō-

minis hostis occubuísset, Bonifátius ad Frísones rédiit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triénnum tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut destrúcitis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo ecclésiæ excitaréntur.

R: Desidérium ánimæ eius tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum. **V:** Quóniam prævenísti eum in benedictióibus dulcéinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretiósso. **Et.**

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

A sancto Willibrórdo ad epis copále munus expetítus, illud detrectávit ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam proféctus, plura Hassórum mília a dæmonis superstítione avocávit. A Gregorio Pontífice Romam evocátus, post insígnem fidei professiónem epíscopus con-

DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

secrátur. Exínde ad Germáni-
am redux, Hássiam, et Thu-
ríngiam ab idololatríæ relí-
quiis pénitus expurgávit. Tan-
ta propter mérita Bonifátius a
Gregório tértio ad dignitatétem
archiepiscopálem evéhitur, et
tértio Romam proféctus a
Summo Pontífice Sedis apos-
tólicæ legátus constitúitur. Qua
insignítus auctoraté quátuor
episcopátus instítuit, et várias
sýnodos celebrávit, inter quas
concílium Leptinése memo-
rábile est apud Belgas in Ca-
meracénsi diœcési celebrá-
tum, quo quidem témpore ad
fidem in Bélgio adaugéndam
egrégie cóntulit. A Zacharía
Papa creátus Moguntínus ar-
chiepíscopus, ipso Pontífice
iubénte Pipínum in regem
Francórum unxit. Post mor-
tem sancti Willibrórди Ultra-
iecténsem ecclésiam gubern-
nándam suscépit, primo per
Eóbanum, deínde per seíp-
sum, dum ab ecclésia Mo-
guntína absolútus Ultrajécti
resédit. Frisónibus ad idolola-
tríam relápsis, Evangélium

prædicáre rursus aggréditur,
cumque officio pastoráli oc-
cuparétur, a bárbaris et ímpiis
homínibus iuxta Bornam flú-
vium cum Eóbano coëpís-
copo, multísque áliis cruénta
cæde perémptus martyrii pal-
ma condecorátur. Corpus sanc-
ti Bonifátii, Mogúntiam trans-
látum, et, ut ipse vivens pe-
tíerat, in Fuldénsi monasté-
rio, quod extrúxerat, recón-
ditum fuit, ubi multis mi-
ráculis incláruit. Pius autem
nonus Póntifex Máximus,
eius Offícium et Missam ad
univérsam Ecclésiam extén-
dit.

R. Stola iucunditatis índuit
eum Dóminus: * Et corónam
pulchritúdinis pósuit super
caput eius. **V.** Cibávit illum
Dóminus pane vitæ et intel-
léctus: et aqua sapiéntiæ salu-
táris potávit illum. **Et.** **Gloria**
Patri. **Et.**

DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

In III Nocturno

Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio

Lectio iv

LÉCTIO SANCTI EVANGÉLII SECÚNDUM MATTHÆUM

Lectio vii Cap. 5,1-12

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius. Et réliqua.

HOMILÍA
SANCTI AUGUSTÍNI
EPÍSCOPI

Liber 1 de Sermone Domini in monte, cp. 2

Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est: Et in simplicitáte cordis quærите illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis

mundis: ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífcí: quóniam ipsi filii Dei vocábuntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat, et ídeo filii Dei pacífcí, quóniam nihil in his résistit Deo, et útique filii similitúdinem patris habére debent.

R. Coróna áurea super caput eius, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictióibus dulcéinis, posuísti in cápite eius corónam de lápide pretiósso. Expréssa.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Pacífcí autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subiciéntes rationí, id est menti et spirítui, carnalésque concupi-scéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id

DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

quod est in hómine præcipuum et excéllens, hoc ímperet, céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiásque commúnia: atque idípsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subiciátur potíori, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferóribus potest, nisi superióri se ipse subíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntátis: hæc vita consummáti perfectíque sapiéntis.

R Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sanguinem suum fudit: * Qui minas iúdicum non tímuit, nec terénæ dignitatis glóriam quæsívit, sed ad cælestia regna pervénit. **V** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Qui.** Glória Patri. **Qui.**

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

De huiúsmodi regno pacatís-

simo et ordinatíssimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmitáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concítaverit, auget glóriam quæ secúndum Deum est; non áliquid in illo ædificio labefactans, sed deficiéntibus máchinis suis innotescere fáciens quanta firmitas intus exstrúcta sit. Ideo séquitur: Beáti, qui persecutióнем patiúntur propter iustitiam: quóniam ipsisórum est regnum cælórum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V Iustus ut palma florébit. **R** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

DIE 2 IULII IN VISITATIONE B. MARIAE VIRG.

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii Mártiris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiómem tui nóminalis vocare dignátus es: concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD VESPERAS

¶ Iustus ut palma forébit. Rx
Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. ant. Qui vult veníre post me * ábneget se metípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Die 2 iulii
**IN VISITATIONE
BEATAE MARIAE
VIRGINIS**
Titulus ecclesiæ
Cathedralis

I classis pro
choro ecclesiæ Cathedr.

Ut in Breviario hac die, sed ad modum festivum.

Pro commemoratione in II Vesperis diei præcedentis facienda:

Ant. Beáta es, * María, quæ credidísti: perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúaia.

¶ Benedícta tu in muliéribus. Rx Et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Fámulis tuis, quæsumus, Dómine, cælestis gratiæ munus impertíre: ut, quibus beatæ Vírginis partus exstitit salútis exordium; Visitatiónis eius sollemnitas, pacis tríbuat incrementum. Per Dóminum nostrum.

In Laudibus omittitur commemoratio Ss. Martyrum.

AD PRIMAM

Ant. Exúrgens María * ábiit

DIE 2 IULII IN VISITATIONE B. MARIAE VIRG.

in montána cum festinatióne,
in civitátem Iuda.

In Rx br. ¶ Qui natus es de
María Vírgine.

mine, cælestis grátiae munus
impertíre: ut, quibus beátæ
Vírginis partus exstitit salútis
exórdium; Visitatiónis eius
votiva sollémnitas, pacis tríbu-
at increméntum. Per Dómi-
num nostrum.

AD TERTIAM

Ant. Intrávit María * in do-
mum Zachariæ, et salutávit
Elísabeth.

Capit. Eccli. 24,14
Ab inítio et ante sæcula créa-
ta sum, et usque ad futúrum
sæculum non désinam, et in
habitatióne sancta coram ipso
ministrávi.

Rx br. Spécie tua * Et pulchri-
túdine tua. Spécie.

¶ Inténde, pròspere procéde,
et regna. **Et.** Glória Patri.
Spécie.

¶ Adiuvábit eam Deus vultu
suo. **Rx** Deus in médio eius,
non commovébitur.

Oratio
Fámulis tuis, quæsumus, Dó-

AD SEXTAM

Ant. Ut audívit * salutatió-
nen Maríæ Elísabeth, exsul-
távit infans in útero eius, et
repléta est Spíritu Sancto, al-
lelúa.

Capit. Eccli. 24,15-16
Et sic in Sion firmáta sum, et
in civitáte sanctificáta simíli-
ter requiévi, et in Ierúsalem
potéstas mea. Et radicávi in
pópulo honorificáto, et in
parte Dei mei heréditas illíus,
et in plenitúdine sanctórum
deténtio mea.

Rx br. Adiuvábit eam * Deus
vultu suo. **Adiuvábit.** **¶** Deus
in médio eius, non com-
movébitur. **Deus** vultu suo.
Glória Patri. **Adiuvábit.**

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

¶ Elégit eam Deus, et præ-elégit eam. Rx In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM

Ant. Ex quo facta est * vox salutatónis tuæ in áuribus meis, exultávit infans in útero meo, allelúia.

Capit. Eccli. 24,19-20

In platéis sicut cinnamónum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Rx br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ¶ In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

¶ Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Rx Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Die 4 iulii
S. UDALRICI
Episcopi et Confessoris
I classis

Omnia de Communi Con-fessoris Pontificis, præter se-quentia propria.

AD I VESPERAS

Ant. 1. O béatum virum Udalrícum * omni laude pro-sequéndum, cui vívere Chris-tus erat et mori lucrum.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes, ibi-dem notatus.

Ant. 2. Romána límina * vi-sitávit Apostolórum, ut se-metípsum suáque ómnia il-lórum précibus instánter com-mendáret.

Ant. 3. Sic extérius * gerébat offícium præsulis, ut intérius non omítteret religiónem mo-násticæ conversatiónis.

Ant. 4. Pastorális múneris * anno quinquagésimo velut in iubilæo de mundi huius Ae-

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

gýpto benedícens transívit in ætérnum victúrus apud Dóminum.

Ant. 5. Sancte Udalríce, * Sa-cérdos et Conféssor Dómini pretióse, adéstó nostris préci-bus pius ac propítius.

Capit. **Hebr. 13,7**

Mementóte præpositórum ves-trórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuén-tes éxitum conversatiónis, i-mitámini fidem.

Hymnus

Sancte Udalríce, plebi
tuæ súbveni,
et nos ab hoste defendéndo
prótege,
sitque devóte famulántes
éffice,
ut tibi nostrum pláceat
obséquium.

Tibi dicátam fove hanc
famíliam,
succúrre clero et geménti
pópolo,
edóce cunctos sectári iu-
stíiam,
et simul totam susténta
Ecclésiam.

Sit Trinitáti sempitérna
glória,
honor, potéstan atque iu-
bilátio
in unitáte, cui manet
impérium
ex tunc, et modo, per
ætéerna sæcula. Amen.

¶ Amávit eum Dóminus, et
ornávit eum. ¶ Stolam gló-
riæ índuit eum.

Ad Magnif. ant. Venerándi
Patris * Udalríci sollémnia
magnæ iucunditátis repræ-séntant gáudia, quæ mérito
cleri ac pópuli suscipiúntur
voto, celebrántur tripúdio, al-
lelúia.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex
nulla nostra virtúte subsísti-
mus; concéde propítius; ut,
intercessióne beáti Udalríci
Confessóris tui atque Pontífici-
cis, contra ómnia advérsa mu-
niámur. Per Dóminum nos-
trum.

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

AD MATUTINUM

Invitat. Adorémus Christum
Regem Dóminum, * Qui
hódie sanctum Udalrícum
perdúxit ad regna cælórūm.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Ave, sancte Udalríce,
gentis nostræ glória,
nos de massa peccatríce
tua patrocínia
suspirántes implorámus;
duc nos ex angústia.

Et quacúmque laborámus
témporis moléstia,
prece reddas consolátos
iugíque cleméntia;
per te pie relevátos
Christi salvet grátia.

Pastor bone, nos inténde
de cælórūm culmine;
gregi tuo condescénde
cum María Vírgine,
et Auctóri nos osténde
iam exútos crímine.

Trinæ sit laus Unitáti,
virtus et victória:
sit et simplex Trinitáti
regnum, compar glória,
sempitérnæ Maiestáti
iúbili concórdia.
Amen.

In I Nocturno

Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

DE EPÍSTOLA BEÁTI PAULI
APÓSTOLI AD HEBRÆOS

Lectio i Cap. 13,7-12

Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Iesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula. Doctrínis váriis, et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremán-
tur extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificáret per suum ságuinem pòpulum, extra portam passus est.

R. Beatíssimi Pontíficis Udal-
ríci diem natalítium recolén-

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

tes, qui hunc tantis coruscáre fecit virtútibus, * Christum condígnis venerémur láudibus.

¶ Qui étiam inter cétera dignatiónis suæ benefícia huius Sancti nobis perdonávit patrocínia. Christum.

R. Cum transácto infántiæ térmíno iam bonæ índolis puer exsísteret, in sancti Galli cœnóbium est commendátus,
* Sacris litterárum stúdiis imbuéndus.

¶ Ubi multórum futúrus magíster, Deo faciénte satis egit prudénter. Sacris.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 13,13-17

Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium eius portantes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúrum inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiòrum confítentiū nómini eius. Beneficiétiæ autem et communiónis nolíte oblivíisci; tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Oboëdítte præpósitis vestris, et subiacéte eis. Ipsi enim per-vigilant, quasi ratióнем pro animábus vestris redditúri ut cum gáudio hoc fácient, et non geméntes: hoc enim non expedit vobis.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 13,18-21

Oráte pro nobis: confidimus enim quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus bene voléntes conversári. Amplius autem déprecor vos hæc fácerem, quo celérius restítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis Pastórem magnum óvium, in sanguine testaménti ætérfni, Dóminum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis eius voluntátem: fáciens in vobis, quod pláceat coram se per Iesum Christum: cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

R. Sancte Udalríce Christi
Præsul, audi rogántes sérvu-
los * Et impetrátam cælitus tu
defer indulgéntiam.

V. Aperi os tuum in oratióne,
et pro delíctis nostris depre-
cáre. **E**t impetrátam. **G**lória
Patri. **E**t impetrátam.

tánæ epíscopus præficitur.
Báculum pastorálem per de-
cem lustra forti manu in-
factóque ánimo, providéntis
Dei grácia innítens, pertur-
batíssimis tempóribus portávit
et, dens calígine in multis re-
giónibus religiónem obcæcán-
te, Ecclésiæ Germaniæque si-
dus præclárum effúlsit.

In II Nocturno

Absol. Ipsíus píetas.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Udalrícus, Alamánnus, Hu-
páldi et Dietpírchæ filius, no-
bilíssimi géneris splendórem
religiónis claritáte superávit.
Décimum fere annum agens,
ad monastérium sancti Galli
missus est, ubi per octo círci-
ter annos cómmorans, totus
in oratióne, totus in sacra
lectióne, bonis opéribus totus
déditus, Deum ad sacerdóti-
um vocántem secútus est.
Patre defúncto, matrem res
familiáres ministrándo solá-
tur, úsquedum, Christi annos
complens, Ecclésiæ Augus-

R. Per divérsos sacrórum lib-
rórum campos ceu apis pru-
dentíssima flores sententi-
árum carpens, summa cœpit
indústria niti. * Ut spiritália
posset mella conficere, quæ
pópolis illum decébat largíri.
V. Quam dúlcia fáucibus meis
elóquia tua, Dómine, super
mel et favum ori meo. **U**t
spiritália.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Caritáte Christi urgénte, di-
vína mystéria summa devo-
tióne perégit opúsque litúrgi-
cum, témpore præprímis qua-
dragesimáli et pascháli, máxi-

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

ma sollemnité persolvit, in crebris itinéribus dulces sibi psalmos ímpiger canens, ubique Dei glóriam promóvit, civibúsque sibi créditis consolátor, admónitor, adiútor exstitit. Sacra Apostolórum límina visitatúrus, Romam usque ter pétuit, Summóque Pastóri óbsequens, multas celebrávit sínodos, id máxime curans, ut sibi cooperatóres pios, cultos, castos in sacro famulátu adscíseret, séipsum præbens exémplum. Zelo domus Dei ardens, ecclésiam Cathédrálem Augustánam aliásque dírutas ecclésias restítuit novásque exstrúxit, et monastéria quæ divíni cultus focos, veræ fidei castélla, curæque animárum nodos hábuit, omni fovit ópera.

R Die cum Martha Dómino in membris suis ministrábat; * Nocte vero cum María sedens secus pedes Jesu audiébat verbum illíus. **V** Qui appropinquant pédibus eius, accípient de doctrína illíus. **Nocte.**

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Vir Dei pacíficus, pacem inter Ottónem regem et Liutólfum filium compósuit, et malis, ob Hungarórum incúrsus ingravescéntibus, ceu turris firma ómnibus ad se confugiéntibus emínuit. Civitátem Augustánam fórtiter defendens, illústris illíus victóriæ, in campo Licénsi repor-tátæ, partem præcipuam hábuit, cum pátria salvans fidem. Témporis magnam misériam maióre caritáte superávit, ipse abstinenter vivens, serenitátem ánni servans, panem suum cotídie frangens cum esuriéntibus, paupéribus tamquam desiderátis commensálibus utens, omnis géneris inópiam súble-vans. Sénio quasi confráctus, de abdicándo episcopátu et hábitu monástico induéndo deliberávit, Dei voluntáte compérta, in múnere perseverávit, úsquedum, oriénte sídere diéi quarti mensis iúlii, anni salútis nongentésimi

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

septuagésimi tértii, fidéli ser-
vo, octogésimum tértium an-
num ætatis suæ agénti, æté-
na lux exórtæ est. Quem ante
et post mortem miráculis cla-
rum, Ioánnes décimus quin-
tus, Summus Póntifex, pri-
mum canónico procéssu Sanc-
tórum fastis adiúnxit.

Rx Sancte Dei Udalríce, vir-
tútum grátia plene, spes uni-
versórum, decus ecclesiárum,
* Inténde preces pópuli sup-
plicántis, ut ímpetres véniam
pro delíctis. ¶ Ecce, quia su-
per multa constitútus in gáu-
dium Dei tui introísti. Intén-
de. Glória Patri. Inténde.

In III Nocturno

Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Lectio iv

LÉCTIO SANCTI EVANGÉLII
SECÚNDUM MARCUM

Lectio vii Cap. 13,33-37

In illo témpore dixit Jesus di-
scípulis suis: Vidéte, vigiláte
et oráte: nescítis enim quan-

do tempus sit. Et réliqua.

HOMILÍA SANCTI BEDÆ VENERÁBILIS PRESBÝTERI

Lib. IV. Com. in Marc. cap. 13

Apóstolus super Salvatóre scrip-
sit: In quo sunt omnes the-
sáuri sapiéntiæ et sciéntiæ abs-
cónđiti. Quare abscónđiti? Post
resurrectiónem interrogátus ab
Apóstolis de die iudíci, ma-
nifestius respóndit: Non est
vestrum scire témpora et
moménta, quæ Pater pósuit
in sua potestáte. Quando di-
cit, non est vestrum scire,
osténdit, quod ipse sciat, sed
non expédiat nosse Apóstolis,
ut semper incérti de advéntu
iúdicis, sic cotídie vivant,
quasi die illa iudicándi sint.
Perspícue osténdit Dóminus,
quare díixerit: De die autem
illo vel hora nemo scit, ne-
que Angeli in cælo, neque
Fílius, nisi Pater. Quia non
expédiat scire Apóstolis, ut
péndulæ exspectaciónis incér-
to semper eum credant esse
ventúrum, quem ignórant,
quando ventúrus sit. Et non

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

dixit quia nescímus, qua hora Dóminus ventúrus sit, sed nescítis.

R Summe sacérdos Udalríce, invenísti grátiam in conspéc-tu Dei; * Conféssor glorióse, deprecáre Dóminum, ut sal-véntur ánimæ nostræ. **V** Ho-mo iste fecit mirabília in vita sua, et probátus, perféctus in-véntus est in glória ætéerna. **C**onféssor.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Præmíssō patris famílias ex-émplo, cur retíceat consummatiónis diem, maniféstus docet, dicens: Vigiláte ergo, nescítis enim, quando Dómi-nus véniat, sero, an média nocte, an galli cantu, an ma-ne. Ne cum vénerit repénte, invéniat vos obdormiéntes. Homo autem qui péregre pro-féctus relíquit domum suam, haud dúbium quin Christus sit, qui ad Patrem post resur-rectiónem victor ascéndens,

Ecclésiam corporáliter relíquit: quam tamen numquam divínæ præsídio præséntiæ destí-tuit, manens in illa ómnibus diébus usque ad consumma-tiónem sæculi. Carnis enim locus próprie terra est, quæ velut ad peregrína ducta est, cum per Redemptórem nos-trum est in cælo collocáta. Dedit autem servis suis potes-tátem cuiúsque óperis; quia fidélibus suis, concéssa Sancti Spíritus grátia, facultátem trí-buit bonis opéribus serviéndi.

R Sancte Udalríce, hierárcha digníssime, fíliis tuis osténde caritátem patris, * Et pia nos apud Deum intercessióne sine fine tuére. **V** Ad pátriam, quam suspirámus, tu totus noster suffragáre instánter, ut perveniámus. **E**t pia. **G**lória Patri. **E**t pia.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Ianitóri quoque præcépit, ut vigiláret: quia órdini pastórum ac rectórum spirituálium

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

commíssæ sibi Ecclésiæ cu-
ram solerti observántia iubet
impéndere. Quod autem vo-
bis dico, ómnibus dico: Vi-
giláte. Non Apóstoli tantum
et successóres eórum, rectó-
res nimírum Ecclésiæ, sed et
omnes vigiláre præcipimur.
Univérsi iánuas córdium nos-
trórum, ne hostis antiquus
mala suggeréndo irrúmpat,
instánter serváre iubémur. Ne
nos dormiéntes Dóminus vé-
niens invéniat, sédulo singuli
præcavére debémus. Unus-
quísque enim pro se reddet
rationem Deo. Vígilat autem,
qui ad aspéctum veri lúminis,
mentis óculos apertos tenet.
Vígilat, qui servat operando
quod credit. Vígilat, qui a se
torpóris et neglegéntiæ téne-
bras repéllit. Hinc étenim
Paulus dicit: Evigiláte, iusti,
et nolíte peccáre. Hinc rursus
ait: Hora est iam nos de som-
no súrgere.

Te Deum.

AD LAUDES et per Horas

Ant. 1 O beátum virum
Udalrícum * omni laude pro-
sequéndum, cui vívere Chris-
tus erat et mori lucrum.

Psalmi de dominica.

Ant. 2 Romána límina * vi-
sitávit Apostolórum, ut semet-
ípsum suáque ómnia illórum
précibus instánter commen-
dáret.

Ant. 3 Sic extérius * gerébat
offícium præsulis, ut intérius
non omítteret religiónem mo-
násticæ conversatiónis.

Ant. 4 Pastorális múnneris *
anno quinquagésimo velut in
iubilæo de mundi huius
Aegýpto benedícens transívit
in ætérmum victúrus apud
Dóminum.

Ant. 5 Sancte Udalríce, * Sa-
cérdos et Conféssor Dómini
pretióse, adésto nostris préci-
bus pius ac propítius.

Capit.

Hebr. 13,7

Mementóte præpositórum ves-

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

trórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuén-tes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

Gaude Sion sublimáta,
Christi Regi despósáta,
gaude sancti Udalríci
cum memória felíci.

In salútem destinátus
plurimórum, vir beátus,
laude digna venerándus
pio corde decantándus.

In profános propugnátor,
sui gregis conservátor,
pius, prudens et pudícus,
Dei cándidus amícus.

Udalríce, commendátum
tibi gregem redde gratum,
et virtúte meritórum
solve vincla peccatórum.

Præsta, Pater ac Patróne,
præsta, Fili, Pastor bone,
præsta, Spíritus ambórum,
clara gáudia cælórum.
Amen.

¶ Iustum dedúxit Dóminus
per vias rectas. Rx. Et osténdit
illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Dóminus *
Jesus Christus de cælo mise-
ricórditer prospéxit in ter-
ram, quóniam sanctum Udal-
rícum Ecclésiæ suæ pontífi-
cem fieri destinávit.

Oratio

Deus, qui cónspicis, qui ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontífi-
cis, contra ómnia advérsa mu-
niámur. Per Dóminum nos-
trum.

Ad Horas psalmi de domini-
ca, ad Primam tamen ut in
festis.

AD TERTIAM

Capit. Hebr. 13,7
Mementóte præpositórum ves-
trórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuén-
tes éxitum conversatiónis, i-
mitámini fidem.

Rx. br. Amávit eum Dóminus,
* Et ornávit eum. Amávit. ¶

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

Stolam glóriæ índuit eum. Deus.

Et. Glória Patri. Amávit.

¶ Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. Rx Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

AD SEXTAM

Capit. Hebr. 13,15

Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini eius.

Rx br. Elégit eum Dóminus * Sacerdótem sibi. Elégit. ¶ Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem sibi. Glória Patri. Elégit.

¶ Tu es sacérdos in ætérnum. Rx Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM

Capit. Eccli. 24,19-20

Beneficéntiæ autem et communionis nolíte oblívisci: tálibus enim hóstiis promerétur

Rx br. Tu es sacérdos * in ætérnum. Tu. ¶ Secúndum órdinem Melchísedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu.

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx Et osténdit illi regnum Dei.

AD II VESPERAS

Ant. 1. O beátum virum Udalrícum * omni laude prosequéndum, cui vívere Christus erat et mori lucrum.

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur ps. 131 Meménto ibidem notatus.

Ant. 2. Romána límina * visitávit Apostolórum, ut semetípsum suáque ómnia illórum précibus instánter commendáret.

Ant. 3. Sic extérius * gerébat officium præsulis, ut intérius non omítteret religionem monásticæ conversatiónis.

Ant. 4. Pastorális múnneris * anno quinquagésimo velut in

DIE 4 IULII S. UDALRICI EP. ET CONF.

iubilæo de mundi huius Ae-
gypto benedicens transívit in
ætérnum victurus apud Dó-
minum.

Ant. 5. Sancte Udalríce, * Sa-
cérdos et Confessor Dómini
pretióse, adésto nostris préci-
bus pius ac propítius.

Capit. **Hebr. 13,7**

Mementóte præpositórum ves-
trórum, qui vobis locúti sunt
verbum Dei: quorum intuén-
tes éxitum conversatiónis, i-
mitámini fidem.

Hymnus

Ave, sancte Udalríce,
gentis nostræ glória,
nos de massa peccatríce
tua patrocínia
suspirántes implorámus;
duc nos ex angústia.

Et quacúmque laborámus
témporis moléstia,
prece reddas consolátos
iugíque cleméntia;
per te pie relevátos
Christi salvet grátia.

Pastor bone, nos inténde
de cælórūm cùlmīne;
gregi tuo condescénde

cum María Vírgine,
et Auctóri nos osténde
iam exútos crímine.

Trinæ sit laus Unitáti,
virtus et victória:
sit et simplex Trinitáti
regnum, compar glória,
sempitérnæ Maiestáti
iúbili concórdia.
Amen.

V. Iustum dedúxit Dóminus
per vias rectas. **R.** Et osténdit
illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Salve *
Udalríce beatíssime, glória
Confessórum simúlque Sanc-
tórum decus ómnium, nos
Christo comménda in perpé-
tuum.

Oratio

Deus, qui cónspicis, qui ex
nulla nostra virtúte subsísti-
mus: concéde propítius; ut,
intercessióne beáti Udalríci
Confessóris tui atque Pontífi-
cis, contra ómnia advérsa mu-
niámur. Per Dóminum nos-
trum.

Completorium de dominica.

DIE 7 AUGUSTI S. AFRÆ VIRG. ET MART.

Die 7 augusti
S. AFRÆ
Virginis et Martyris
Patronæ
secundariæ dioecesis.
II classis

Omnia de Communi Virgi-
num, præter ea, quæ hic ha-
bentur propria.

In I Nocturno

Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

DE LIBRO ECCLESIÁSTICI

Lectio i 51,1-7
Confitébor tibi, Dómine Rex,
et collaudábo te Deum, sal-
vatórem meum. Confitébor
nómini tuo: quóniam adiútor
et protéctor factus es mihi, et
liberásti corpus meum a perdi-
tione, a láqueo linguæ iníquæ,
et a lábiis operántium mendáci-
um, et in conspéctu astántium
factus es mihi adiútor. Et libe-
rásti me, secúndum multitúdi-
nem misericórdiæ nóminis tui
a rugiéntibus præparátis ad es-

cam, de mánibus quæréntium
ánimam meam, et de portis tri-
bulatiónum, quæ circumdedé-
runt me: a pressúra flammæ
quæ circúmdedit me, et in
médio ignis non sum æstuátus:
de altitúdine ventris íferi, et a
lingua coinquináta, et a verbo
mendáci, a rege iníquo, et a
lingua iniústa.

R Veni, Sponsa Christi, ácci-
pe corónam, quam tibi Dó-
minus præparávit in ætér-
num; pro cuius amóre sán-
guinem tuum fudísti, * Et
cum Angelis in paradísum
introísti. **V** Veni, elécta mea,
et ponam in te thronum me-
um; quia concupívit Rex
spéciem tuam. **Et**.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii 51,8-12
Laudábit usque ad mortem
ánima mea Dóminum, et vita
mea appropínquans erat in
inférno deórsum. Circumde-
dérunt me úndique, et non
erat qui adiuváret. Respíciens

DIE 7 AUGUSTI S. AFRÆ VIRG. ET MART.

eram ad adiutorium hómi-
num, et non erat. Memorátus
sum misericórdiae tuæ, Do-
mine, et operatiónis tuæ,
quæ a sæculo sunt: quóniam
éruis sustinéntes te, Dómine,
et líberas eos de máribus
géntium.

R Diffusa est grácia in lábiis
tuis, * Proptérea benedíxit te
Deus in æténum. **V** Spécie
tua et pulchritúdine tua
inténde, próspere procéde, et
regna. **P**roptérea benedíxit te
Deus in æténum.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii **51,13-17**

Exaltásti super terram habita-
tióne meam, et pro morte
defluénte deprecátus sum. In-
vocávi Dóminum, Patrem
Dómini mei, ut non derelín-
quat me in die tribulatiónis
meæ, et in témpore super-
bórum, sine adiutorio. Lau-
dábo nomen tuum assídue, et
collaudábo illud in confes-
ióne, et exaudíta est orálio

mea. Et liberásti me de per-
ditióne, et eripuísti me de
témpore iníquo. Proptérea
confitébor, et laudem dicam
tibi, et benedíciam nómini
Dómini.

R Spécie tua et pulchritúdine
tua * Inténde, próspere pro-
céde, et regna. **V** Diffusa est
grácia in lábiis tuis, proptérea
benedíxit te Deus in æté-
num. **I**nténde. **G**lória Patri.
Inténde.

In II Nocturno

Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Afra virgo, sæviénte atrocíssi-
ma persecutióne, quam Dio-
cletiánus et Maximiniánus
imperatóres ad nomen chris-
tiánum deléndum per uni-
vérsas impérii Románi pro-
víncias excitáverant, in provín-
ciæ Rætiæ civitáte Augústa
Vindélicum Christum con-
fessa est, prima illius regiónis
nominátim nota martyr. Nó-

DIE 7 AUGUSTI S. AFRÆ VIRG. ET MART.

bili génere nata, únacum áliis Christi ásseclis comprehénsa et ad iúdicis tribúnal addúcta est. Cum se christiánam esse palam confiterétur, et nec pollicitatiónibus nec minis ad oboediéndum imperatórum edíctis neque ad sacrificándum diis indúci posset, senténtia iúdicis morte damnáta est. Antiquíssima constat traditióne, Afram séptimo Idus augústi in ínsula Lici flúminis, prope civitátem, vivam flammis tráditam esse. Corpus sanctæ Mártyris, flammis exstíncitis illæsum invéntum, a Christi fidélibus in eius coemetério, extra muros secúndo milliário prope viam Cláudiam sito, cónditum est.

R Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iustítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtea tua. **V** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspera procéde, et regna. **E**t.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Persecutióne tandem transácta, ad memóriam, super ossa sanctæ Mártyris exstrúc-tam et mox in ecclésiam commutátam, permúlti fidé-les ex propínquis remotísque regiónibus peregrinántes af-fluxérunt, quorum famósus exstat epíscopus Venántius Fortunátus, qui post médium sæculum sextum cécinit: "Per-gis ad Augústam, qua Virdo, et Licca fluéntant; illic ossa sacra venerábere Mártyris Afræ." Ecclésia illa, supra pretiósam arcam, ossa egrégiæ Vírginis et Mártyris conti-néntem, ædificáta, plúries dí-ruta, tóties magnificéntius res-titúta est, eámque epíscopi Augustáni per duo sæcula Cathédrálem habébant ecc-lésiam. Eórum plures prope sanctæ Mártyris veneráandas exúvias própriam sepultúram elegérunt, quorum eminen-tíssimus est ipse sanctus U-dalrícus epíscopus, Patrónæ civitátis Augstánæ insígnis

DIE 7 AUGUSTI S. AFRÆ VIRG. ET MART.

olim cultor. Ideo celeberrima res fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce complécti, quod supra usum natúræ sit? E cælo accersívit, quod imitarétur in terris. Nec immérto vivéndi sibi usum quæsívit e cælo, quæ Spōsum sibi invénit in cælo.

R Dilexísti iustítiā, et odísti iniquitátem * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiae. **V** Propter veritátem, et mansuetudinem, et iustítiā. Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

SERMO SANCTI AMBRÓSII EPÍSCOPI

Liber I de Virg., circa init.

Quóniam hódie natális est Vírginis, invítat nunc integrítati amor, ut áliquid de virginitáte dicámus, ne velut tránsitu quodam præstrícta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ideo laudábilis virginitas, quia in martyribus reperítur; sed quia ista mártys

res fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce complécti, quod supra usum natúræ sit? E cælo accersívit, quod imitarétur in terris. Nec immérto vivéndi sibi usum quæsívit e cælo, quæ Spōsum sibi invénit in cælo.

R Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ eius. * Afferéntur tibi in lætitia et exsultatiōne. **V** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspercere procéde, et regna. **Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.**

In III Nocturno homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Símile est regnum cælórum decem virginibus, **de Communi Virginum 1 loco.**

AD LAUDES et per Horas

V Diffusa est grátia in lábiis tuis. **R** Proptérea benedíxit te

DIE 7 AUGUSTI S. AFRÆ VIRG. ET MART.

Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiosa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui primórdia Ecclésiæ Augustánæ pretioso beátæ Vírginis Afræ martýrio illustrásti: concéde propítius; ut eiúsdem in fide constántiam secántes, ad tuam glóriam perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit com. S. Caietani Conf.:

Ant. Nólite sollíciti esse dicéntes: Quid manducábimus aut quid bibémus? Scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit.

℣ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℥ Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beáto Caietáno

Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti: da nobis, eius intercesióne et exémplo, in te semper confidere, et sola cælestia desideráre. Per Dóminum.

Ad Horas Ant. et psalmi de currenti hebdomadæ die.

AD VESPERAS

℣ Diffusa est grátia in lábiis tuis. ℥ Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

DIE 6 SEPTEMBRIS S. MAGNI ABBATIS

Die 6 septembris
S. MAGNI

*Abbatis
III classis*

AD MATUTINUM
Bened. Ad societátem.

Lectio III

Magnus, ex Rætoromanórum gente oriündus, póstea Mang vulgo nominátus, aduléscens monastérium sancti Galli ingrüssus, sanctórum Columbáni et Benedícti régulas oboedientíssimus observávit. Précibus sancti Wictérpi episcopi Augstáni, cum Tozzóne et Theodóro Algóviæ génitibus converténdis óperam návit. Pervéniens in locum, ubi nunc cívitas Kempten floret, cellam et sacéllum extrúxit. Ex tempóribus antiquis pie tráditur, eum in régióne ista, tunc desérta et incúlta, magnum serpéntem occidísse. Theodórum cómitem sacelli custódem relíquit. Ipse vero cum Tozzóne ultérius progréssus, in vico vulgo Epfach nomináto, a Wictér-

po epíscopo benígne excéptus et benedictióne confirmáitus, in locum Rosshauppen et déniue ad fauces Alpium pertíngens, ubi nunc cívitas Füssen sita est, álteram cellam ecclesiámque ædificávit. Sacerdótio auctus, religióne et ópera illíus regiónis íncolas sibi conciliávit, totque ad Christi fidem perdúxit, ut Algóviæ Apóstolus appellári mererétur. Vir Dei anno salútis septingentésimo septuagésimo secúndo migrávit ad Dóminum; plures relíquiæ eius usque hódie pie honorántur.

Te Deum.

AD LAUDES

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

DIE 17 SEPTEMBRIS S. HILDEGARDIS VIRG.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus,
Dómine, beáti Magni Abbá-
tis comméndet: ut, quod nos-
tris méritis non valémus, eius
patrocínio assequámur. Per
Dóminum.

AD VESPERAS

¶ Iustum dedúxit Dóminus
per vias rectas. ¶ Et osténdit
illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Hic vir
despíciens mundum * et terréna,
triúmphans, divítias cælo cón-
dedit ore, manu.

HYMNUS

Salve, nostra tu glória,
exémplar es quæ Vírginum!
Audi benígna súpplices
tibi canéntes cáanticum.

O virgo, quæ mirábilis
vixísti amóris víctima,
et nunc beáis fúlgidis
cæli recépta sédibus.

Vitæ per æquor túrbidum
tuos cliéntes dírige,
nobísque amícum cómpara,
cui te revínxit grátia.

Summo Parénti ac Fílio
tibíque Sancte Spíritus,
sit laus, potéstas, glória,
per sempitérna sæcula.
Amen.

Die 17 septembbris
S. HILDEGARDIS
Virginis
III classis

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dó-
minum, Veníte adorémus.

Ps. 94 Veníte

AD NOCTURNUM

Bened. Ad societátem.

Lectio III

Hildegárdis, in Platinátu infe-
rióre ex patre Hildebérto et
matre Mechtílda géneris no-
bilitáte ac pietáte conspícuis
orta, octénnis in montem
Sancti Disibódi consepelién-

DIE 17 SEPTEMBRIS S. HILDEGARDIS VIRG.

da Christo secéssit. Iutta, sanctíssima abbatíssa e vivis subláta, Hildegárdis, licet renítens, in eius locum suffécta est. Cum autem eius monastérium, nímiā moniálium numerositátem ut cáperet, iam esset insufficiens, ad álium montem, a sancto Rupérto nuncupátum, cum plúrimis ex illis conténdit. Quadráginta círciter annos nata, donum intellegéntiæ ac expósitíonis sacrárum Scripturárum, singulári Dei beneficio, accépit. Pontífices Románi, epíscopi, Friderícus primus imperátor, reges, omnísque coetus viri consílium eius exquirébant. Nemo ad illam unquam se cóntulit, qui eius salutáribus mónitis instrúctus, cum vitæ meliórís propósito non recésserit. Dénique post innúmera virtútum ac sciéntiæ divínitus infúsæ insígnia, anno ætatis suæ octogésimo migrávit ad Sponsum, vere ac mérito vocáta sexus muliébris miráculum, atque orbis univérsi oráculum. Te Deum.

AD LAUDES

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in æténum.

Ad Bened. ant. O digníssima Christi sponsa! * quam lux prophetiæ illustrávit, zelus apostólicus inflammávit, láurea vírginum coronávit, divíni amóris incéndium consummávit.

Oratio

Deus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quæsumus; ut, eius vestígiis et documéntis insisténtes, a præsentis sæculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Confessoris:

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

DIE 17 SEPTEMBRIS S. HILDEGARDIS VIRG.

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ¶ Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflam-mándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francíscyi passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut eius méritis et pré-cibus crucem iúgiter ferámus, et dignos fructus pæniténtiae faciámus: Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS

Capit. 2 Cor. 10, 17-18
Fratres: Qui gloriáatur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

HYMNUS

Sicut dolos intérrita vicísti, et artes hóstium, et robur in discrímine sumens, nitébas púlchrior:

Sic bella nos quot ìngruunt da, te favénte, fúndere, virtútis almæ ac sémitam vultu seréno cùrrere.

Alat repóstam méntibus fidem supérna cáritas mores adórnet áureos intemeráta cástitas.

Summo Parénti ac Fílio tibíque, Sancte Spíritus, sit laus, potéstas, glória per sempitérna sæcula. Amen.

¶ Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ¶ Proptérea benedíxit te Deus in æténum.

Ad Magnif. ant. Súbveni nobis, Hildegárdis * virgo sanctíssima, æténi regis sponsa, in cuius aula splendéscis sicut stella fulgentíssima.

Oratio

Deus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quæsumus; ut, eius vestígiis et documéntis insisténtes, a præsentis sæculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum.

DIE 25 SEPTEMBRIS S. NICOLAI DE FLÜE CONF.

Die 25 septembbris
S. NICOLAI DE FLÜE
Confessoris
III classis

AD MATUTINUM
Bened. Ad societátem.

Lectio III

Nicoláus de Flüe, in Helvétiae pago Saxulénsi honéstis paréntibus ortus, singulári innocéntia pueríles annos exégit. Ieiúniis et divínis contemplatióibus inténtus, solitáriam vitam summe quidem desiderávit, sed suórum voto cedens, matrimónium íniit. Decem líberis procreátis, múnere tam patris famílias quam agrórum cultóris egrégie functus est. Suprénum magistratum, sæpius sibi oblátum in pátria, constánter recusávit, et tandem, relíctis ómnibus, in vicínam erémum secéssit, ubi vigínti prope annos inusitátae vitae austéritaté tradúxit et, cibo potúque prorsus ábstinens, pane Eucharístico tantum nutrítus cælestibúsque a Deo

Trino visiónibus recreátus est. Accedéntes ad se salutáriter admónuit, exhórtans idéntidem ad Sedis Apostólicæ clerique observántiam. Foe derátos Helvétiae cives, vheménti exórta dissensióne, fórtiter simul ac suáviter ad concórdiam perdúxit. Auctor pacis et pátriæ pater anno millésimo quadringentésimo octogésimo séptimo placidíssime óbiit, quem Pius Papa duodécimus in Sanctórum rétulit númerum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Beáti Nicolái, Confessóris tui, intercessióne suffulti te, Dó-

DIE 28 SEPT. IN DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS

mine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígnā semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cón-didit ore, manu.

Die 28 septembbris
IN DEDICATIONE
ECCLESIÆ
CATHEDRALIS

I classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ, præter ea, quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

¶ Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. Rx. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. ant. Sanctificávit Dóminus * tabernáculum suum: qui hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen eius, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræsentas incólumes: exaudi preces pópuli tui, et præsta;

DIE 28 SEPT. IN DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS

ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus ingréditur, cuncta se impetrásse lätétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Lectiones I Nocturni dicuntur ut in Communi De libro secúndo Pralipómenson.

In II Nocturno

Absol. Ipsíus píetas.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Cathédralis ecclésia Augustána, antiquitáte, amplitúdine, amoenítate haud despectabilis inter céteras Germániæ Cathedráles, ea in parte civitátis Augústæ Vindelicórum excitáta esse dícitur, ubi olim prætor sedébat iusque dicébat, et fortássis supplícium in sanctam Afram constitúerat. Ibídem ecclésia a Zeisóne epíscopo circa annum septingen-tésimum lapídibus extrúcta est, quæ sancto Sintpéerto epíscopo post sǽculum renováta,

beátæ Mariæ Vírgini dedicátur. Verténte sǽculo décimo pars huius ecclésiæ, fúlmine tacta ut aiunt, périit. At ope beátæ Adelhéidis, víduæ imperatóris Ottónis Magni, ipsa ecclésia et præprímis chorus occidentális super crypta tri-partita restituúntur, ita ut ex eo Cathédralis ecclésia apatiósa, quatérnis pilis lapídeis in tres partes divisa, more quem vocant Románicum, exsísteret. Anno millésimo sexagésimo tertio ecclésia, quinque celéribus prophetárum imagínibus, vítreis fenéstris inústis ornáta, ab Embricóne epíscopo in festivitaté sancti Michaélis Archángeli dedicáta est.

R. Orántibus in loco isto, *
Dimítte peccáta pópuli tui,
Deus, et osténde eis viam bo-nam per quam ámbulent, et
da glóriam in loco isto. **V.**
Qui regis Israel, inténde, qui
dedúcis velut ovem Ioseph,
qui sedes super Chérubim.
Dimítte.

DIE 28 SEPT. IN DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Crescénte cívium Augustanórum sumptus et magnificéntiae stúdio, Cathédralis ecclésia recentióri artis formæ adaptáta est et aucta. Nam Góthica quam vocant struc-túra novátō ædificio, duæ alæ exterióres, meridionális scílicet et septentrionális, adiúnc-tæ sunt, et ínsuper chorus orientális, valde sumptuósus vastúsque et coróna sacellórum circúmdatus, ædificátus est. Cuius præclári templi consecrátio perácta est item in festivitaté sancti Michaélis Archángeli, anno millésimo quadragentésimo trigésimo pri-mo, a Petro de Schaumburg epíscopo, qui póstea ad cardinalátus dignitátem evéctus est. Per quinque sæcula hæc Ca-thedrális ecclésia in nostram ætátem perdurávit, donec an-no millésimo nongentésimo trigésimo quarto prístinæ ve-nustáti atque intemerátæ sim-plicitati restitúta est. A primis tempóribus tamquam Patróna

speciális ecclésiæ habétur be-áta María Virgo, éaque vísi-tans cognátam Elísabeth, quo facto maiórum nostrórum er-ga Déíparam devótio egrégie probátur.

R. O quam metuéndus est locus iste: * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. **V.** Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam pe-tram. **Vere.**

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Haud prætereúndum est, hac in venerábili ecclésia sanctum Ioánnem Capistránum anno millésimo quadringentésimo quinquagésimo quarto pópu-lo Augustáno concionátum esse, cum incredibili audiéntium appláusu atque pæni-téntia. Sanctus vero Petrus Canísius, Doctor Ecclésiæ, mediánte sæculo décimo sex-to prædicátor fuit ordinárius, qui Augústam Vindelicórum,

DIE 28 SEPT. IN DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS

reformátæ quæ dicitur Confessióni Augustánæ nimis annuéntem, ad unitátem fidei redúxit et in ángulo turris meridionális púeros veritátem evangélicam dócuit. Venerabilis quoque Marcus Aviánus mense novémbri anni millesimi sexcentésimi octogésimi per quátuor contínuos dies imménsæ multitúdini fidélium contrítionem incússit et multa mirácula perfécit. Anno millésimo septingentésimo octogésimo secúndo Pius sextus, Póntifex Máximus, hunc diem onomásticum péragens, sacris functiónibus ástitit, populóque ex tota dioecési festinánti benedictiónem papálem impertívit. Quam ecclésiam, intercessióne sancti Conrádi a Parzham tempóribus vel difficíllimis íntegram conservátam, ut Deus ad plúrima sæcula nobis consérvet, omnes precémur.

R. Mane surgens Iacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper, vo-

tum vovit Dómino: * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ¶ Cumque evigiláset Iacob de somno, ait. Vere. Glória Patri. Vere.

Lectiones III Nocturni de Communi.

AD LAUDES

¶ Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. Rx. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Bened. ant. Zachæe, * festínans descénde, quia hódie in domo tua opörtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúia.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræsentas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta;

DIE 12 ET 13 OCTOBRIS

ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur.
Per Dóminum nostrum.

AD II VESPERAS

¶ Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. Rx. In longitúdinem diérum.

Ad Magnif. ant. O quam metuéndus est * locus iste: vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Et fit commemoratio sequentis (Dedicationis S. Michaelis)

Ad Magnif. ant. Dum sacrum mystérium * céneret Ioánnes, Archángelus Míchael tuba cécinit: Ignósce, Dómine, Deus noster, qui áperis librum, et solvis signácula eius, allelúia.

¶ Stetit Angelus iuxta aram templi. Rx. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Oratio

Deus, qui, miro órdine, Angelorum ministéria hominúmque dispénsas: concéde propítius, ut, a quibus tibi ministerántibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum nostrum.

Die 12 octobris

In ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali

**IN DEDICATIONE
ECCLESIÆ PROPRIÆ**

I classis

Omnia de Communi ut in Breviário.

Die 1 octobris

S. SINTPERTI

Episcopi et Confessoris
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio III

Sintpértus nobilíssima, ut trá-

DIE 12 ET 13 OCTOBRIS

ditur, progénie natus, puer in monastérium Murbacénse pie-tatis ac studiorum causa missus est. Abbáte monastérii defuncto, in eius locum est élactus. Cum vero Cárolus Magnus, Romanórum imperátor, civitátem Augóstánam, témporum iniúria magnópere vexátam et afflítam, restaurándam suscepísset, vir Dei Sintpértus Ecclésiæ Augus-tánæ epíscopus rite præféctus est. Quo múnere, tum se ipsum clero populóque præ-bens exémplum, tum ecclesiárum ædificia rénovans di-oecésisque confínes restítu-ens, perfúnctus est egrégie. Ordinatiónis anno trigésimo térr-tio, Idibus octóbris circa annum octingentésimum octá-vum spíritum Deo ré-didit, plúrimis miráculis in vita et post mortem clarus. Sacrum eius corpus in æde sanctórum Udalríci et Afræ cónditum, peculiári fidélium observántia cólitur. Nicoláus Papa quintus, vivæ vocis oráculo, Sint-pértum inter Sanctos colén-dum præcépit. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui nobis beati Sint-pérti Confessóris tui atque Pontíficis gloriósa mérita virtútibus et miráculis evidénter declarásti: da nobis eius patrocínio salútem mentis et córporis; ut, ipsíus exémpla sequéntes, a malis ómnibus liberáti, ad te felíciter pervenire mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Eduardi regis, Confessoris:

Ant. Similábo eum * viro sa-piénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

DIE 16 OCTOBRIS

¶ Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. Rx. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui béatum regem Eduárdum, æternitatis glória coronásti: fac nos, quæsumus; ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cælis. Per Dóminum.

AD VESPERAS

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Die 16 octobris
S. HEDWIGIS

Viduæ

III classis

Commemoratio S. Calli Abb.:

AD LAUDES

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Galli Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD VESPERAS

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Hic vir de-spíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cón-didit ore, manu.

DIE 27 OCTOBRIS S. WOLFHARDI CONF.

Die 27 octobris
S. WOLFHARDI
Confessoris
III classis

AD MATUTINUM
Bened. Ad societátem.

Lectio III

Wolfhárdus, sive Gualfárdus, honéstis paréntibus Augústæ Vindélicum ortus, artem ephippiáriam Verónæ exércuit. Quidquid ex diúrno quæstu præter tenuem ádmodum victum et vestítum supérerat, paupéribus erogávit. Urbe relícta, se in ínviam et desértam ad Athesin silvam ábdi-dit: in qua per annos vigínti vigílii, ieíuniis et oratióibus vacans assídue, némine cónscio, vixit. Forte invéntus et Verónam retráctus, aliquám-diū prope ecclésiam sancti Petri, bréviter rursus extra ci-vitátem, et postrémo in céllu-la, iuxta Sancti Salvatóris ec-clésiam constrúcta, annos de-cem exímia vitæ sanctimónia et multis miráculis clarus, vi-

tam duxit. Obiit quidem sanctus Dei servus prídie Kaléndas maii anni millésimi centésimi vigésimi séptimi, eius autem festum in Ecclésia Augustána celebrátur sexto Kaléndas novémbris, quo die, anno millésimo sexcentésimo secúndo, reliquiárum eius magna pars ab Henríco epís-co-po Augustáno in ecclésiam sancti Francíisci Patrum Cap-pucinórum sollémniter illáta est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pau-ca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Adésto, Dómine supplicatió-nibus nostris, quas in béati Wolfhárdi Confessóris tui sol-

DIE 31. OCTOBRIS S. WOLFGANGI EP. ET CONF.

lemnítate deférimus: ut, qui nostraræ iustitiæ fidúciam non habémus; eius, qui tibi plácuit, précibus adiuvémur. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

V Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cón-didit ore, manu.

Die 31 octobris

S. WOLFGANGI
Episcopi et Confessoris
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Wolfgángus, liber suevígena, cum célebri schola Reichenauénsi esset excúltus, scholástici et subínde decáni Trevirénsis strénue fungebátur of-

ficio. Monásticam vitam am- plectúrus, in Einsiedlénse coe-nóbium secéssit, scholámque dirígere destinátus est. Ibídem et órdine presbyte-rátus a sancto Uldalríco epís-copo Augóstáno auctus est, quem paucis annis post, iam in episcopátum evéctu, exsé-quiiis prósequi débuit. Ani-márum enim zelo in Pan-nóniam proféctus, brevi re-vocátus et epíscopus Ratis-bonénsis éléctus erat, anno salútis nongentésimo septua-gésimo secúndo. Integérrimi ánni vir, posthábito suæ Ec-clésiæ cómmodo, sicut Bohé-mis libentíssime concéssit, ut Pragæ próprius instituerétur epíscopus, ita sancti Emme-rámi monastérium, restitútis provéntibus, ab administrati-ónē episcopáli seiúnxit. Dux Baváriæ eum moderatórem constituit filii sui Henríci, qui postérius diadémati imperiáli corónam sanctitátis áddidit. Sanctus epíscopus vitæ auste-ritáte enítuit, cleri et pópuli pietátem veheménter fovit,

DIE 5 NOV. SACRARUM RELIQUIARUM

monastéria instaurávit. Tandem in visitatióne amplíssimæ dioecésis, in loco Pupping, morte prævénitus est, postquam per annos fere vigínti duos Ratisbonéensem réxerat Ecclésiam. In monastério Sancti Emmerámi, Ratisbónæ, honorifice sepultus, et, sollémni reliquiárum elevatióne a sancto Leóne nono Summo Pontífice perácta, Sanctórum cultu decorátus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Wolfgángum Episcopum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem doctórem vi-

tæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Vesperæ festivæ de sequenti.
Completorium de dominica.

Die 5 novembribus
**SACRARUM
RELIQUIARUM**
quæ in ecclesiis Dioecesis
asservantur

III classis

Capitula, hymni et reliqua,
quæ de Psalterio feriæ non
sunt sumenda, dicuntur de
Communi plurimorum Martyrum, præter sequentia.

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

SERMO
SANCTI THOMÆ AQUINÁTIS
Summa Theol., III,q.XXV, a.6

Qui habet afféctum ad áli-

DIE 5 NOV. SACRARUM RELIQUIARUM

quem, étiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, venerátur, non solum corpus aut partes cónporis eius, sed étiam áliqua exterióra, puta vestes et simília. Maniféstum est autem, quod Sanctos Dei in veneratióne habére debémus, tamquam membra Christi, Dei filios, et amícos, et nostros intercessóres. Et ídeo eórum reliquiæ qualescúmque honore cóngruo in eórum memóriam venerári debémus; et præcipue eórum cónpora, quæ fuérunt templo et órgana Spíritus Sancti in eis habitántis et operántis, et sunt cónpori Christi configuranda per gloriósam resurrectiónem. Unde et ipse Deus huiúsmodi relíquias conveniénter honórat, in eárum præsentia míracula faciéndo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣ Exultábunt Sancti in glória. ℥ Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitibus * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquias mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cuius in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

℣ Exultábunt Sancti in glória. ℥ Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánime Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amore sanguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

DIE 13 NOV. S. STANISLAI KOSTKÆ CONF.

Die 13 novembris
S. STANISLAI
KOSTKÆ
Confessoris
III classis

AD MATUTINUM
Bened. Ad societátem.

Lectio III

Staniláus, senatórum Kostklárum gente oriúndus in Polónia, ad Viennéne in Austria seminárium studiórum causa missus, et lutheráni hóspitis ædes migráre coáctus, cotidiánæ fratrī Pauli vexatióni crebra ipse ieíúnia, flagélla, aliósque cruciátus adíciens lethálem in morbum ícidit. Sacrum Viáticum ab Angelis accépit ac mox, ad Púeri Jesu compléxum a beatíssima eius Matre cómiter admíssus et Societáti Jesu iussus nomen dare, súbito conváluit. Peregríni hábitu, solus pedes, fugam arrípuit, incólumis Dilíngam venit ibique in seminário maióre plures septi-

mánas commorátus, a sancto Petro Canísio lítteris ad sanctum Francíscum Bórgia generálem Præpósito accéptis, Romam pétiit, et in Societátem Jesu méruit cooptári. Amóre vérius quam febri æstuans, die Assúmptæ in cælum Vírgini sacro, ex Quirináli domo probatiónis, anno innocéntis vitæ décimo octávo volávit in cælum.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui inter cétera sapiéntiæ tuæ mirácula étiam in ténera ætáte matúræ sanctitatis grátiam contulísti: da, quæsumus; ut beáti Stanislái

DIE 26 NOVEMBRIS S. CONRADI EP. ET CONF.

exémplo, tempus instánter o-
perándo rediméntes, in æté-
ram íngredi réquiem festiné-
mus. Per Dóminum nostrum.

**Et fit com. S. Didaci Confes-
soris:**

Ant. Similábo eum * viro sa-
piénti, qui ædificávit domum
suam supra petram.

℣ Amávit eum Dóminus, et
ornávit eum. ℥ Stolam gló-
riæ índuit eum.

Oratio

Omnípotens sempítérne De-
us, qui dispositiōne mirábili
infírma mundi éligis, ut fórtia
quæque confúndas: concéde
propítius humilitáti nostræ; ut,
piüs beáti Dídaci Confessóris
tui précibus, ad perénnum in
cælis glóriam sublimári me-
reámur. Per Dóminum nos-
trum.

AD VESPERAS

℣ Iustum dedúxit Dóminus
per vias rectas. ℥ Et osténdit
illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Hic vir de-
spíciens mundum * et terréna,
triúmphans, divítias cælo cón-
didit ore, manu.

Die 26 novembris
S. CONRADI
Episcopi et Confessoris
I classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Conrádus, natióne Alamán-
nus, oriúndus ex illústri stirpe
Welfórum, a púero scholæ
Constantiénsis ecclésiæ trádi-
tur excoléndus. In grémium
fratrum canonicórum adsúmp-
tus, ab epíscopo Nothíngō in
causárum auditóris múnere
collocátur. Intervéntu et com-
mendatiōne sancti Udalríci e-
píscopi Augustáni, qui eum
iam tunc amicítia prosequé-
bátur, defúncto Nothíngō,
Conrádus Ecclésiæ Constan-
tiénsi præficitur epíscopus, an-
no nongentésimo quarto su-
pra tricésimum. Qua erat erga

DIE 26 NOVEMBRIS S. CONRADI EP. ET CONF.

Deum pietáte, inténtum zelum divíno cútui impendébat sollicitáque caritáte paupéribus opitulabátur. Tres fundávit ecclésias, in quarum una sacrum sepúlchrum éxstrui iussit ad exémplar illíus, quod Hierosólymam peregrinátus visitáverat. Domum eréxit hospitálem, nec pátriæ amóris ímmemor, ab impe ratóre Ottóne Magno in consília pública adhíbitus est. Quadragínta uníus annórum regímine ecclesiástico summa cum solerítia perfúnctus, diem óbiit suprénum, et iuxta ecclésiam sancti Maurítii a se fundátam, sepúlchro cónditus est. Te Deum.

AD LAUDES

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Conrádi Confessóris tuis atque Pontíficis sollempnité deféri mus: et qui nostræ iustítiae fidúciam non habémus; eius, qui tibi plácuit, précibus adiuvémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit com. S. Silvestri Abbatis:

Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

¶ Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. Rx. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sæculi huius vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erénum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exorámus; ut, eius exémpló terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætéerno. (Per Dóminum nostrum.)

DIE 26 NOVEMBRIS S. CONRADI EP. ET CONF.

Deinde com. S. Petri Alexandrini Episcopi et Martyris:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

¶ Iustus ut palma florébit. Rx Sicut cedrus Líbani multiplicabitur.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et; quia pondus própriæ actiόnis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

Oratio

Deus, qui cónspicis, qui ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalríci Confessóris tu atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muníámur. Per Dóminum nostrum.

Completorium de dominica.

AD VESPERAS

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. Rx Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.